

### κατὰ δίστιχον

ΑΡΗΤΟΝ. GL VI 56. 22 sqq. poematum autem seu carminum species tres sunt: alia enim a Graecis κατὰ στίχον, alia συστηματικά, alia μικτά dicuntur, quae etiam ἀμετάβολα et μεταβολικά. igitur κατὰ στίχον sunt quae eodem metro constant, ut metrum epicum Homeri et Maronis nostri, vel quod ex trimetris et tetrametris continuis subsistit aut colis aut commatibus eiusdem metri; systematica autem, quae ex plurimis metris neque ex uno versu aut eodem colo vel commate continentur, || ut sunt epodoe et quae apud lyricos invenimus, quae syzygiis gradiuntur; mixta autem, quae partim sunt κατὰ στίχον partim ex trimetro et tetrametro mixta, quamquam non [in] uno versu semper sensus expleatur, ut in elegia vel epodis: nam neque per se versus hexameter sine sequente pentametro elegiacum metrum implebit, neque in epodis singuli versus sine clausulis suis et adsequellis audiri poterunt epodoe, quae similiter κατὰ δίστιχον fiunt. [V. V.]